



Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

Prima Regula, Tit. I. De Potestare seculari super Ecclesiasticis personis.
Clerici non possunt de crimine coram seculari Iudice conveniri, nec valet
contraria consuetudo. cap. 1. & 2. 11. q. q. cap. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

28 Clericus arma militaria deferens, si montus non deponat, omne privilegium Clericale perdere debet

PRIMA REGULA, TIT. I. DE POTESTATE SECULARI SUPER ECCLESIASTICIS PERSONIS.

Clerici non possunt de crimine coram seculari Iudice conveniri, nec valet contraria consuetudo. cap. 1. & 2. II. q. 1. cap. Clerici de judiciis.

ADDE

1. Hanc regulam ponit Cassanens in consuetudines Burgundia tit. de justit § 5. versic. si la grace. n. 47. ubi refert Fallentias 20. ex ordine. n. 48. usq; ad n. 204. Pari modo Benedictus in cap. Rainutius §. & uxorem nomine Adelasiam decis. 2. n. 141. 143 & 155. Enumerat plurimos casus quibus Clericus per secularem Iudicem punitur.
2. Tradit quoq; tales casus 24. mixtim Antonius de Tremolis in addition. ad praxim. Bonacursi tit. 2. quibus modis suo nomine & nu. 245. usque ad finem.
3. Eandem hanc regulam, cum suis limitationibus 22. ex ipso nostro auctore collegit, & posuit ex ordine Lancilotus in tractatu suo laudabili de officio prætoris ad tit. de Inquisitione nu. 8 Cur. ergo mihi in his remissionibus idem non liceat.

4. His addo pulcherrimum tit. & Commentaria Matthæi de afflictis in consuetudines Regni Sicilia ubi Clericus de crimine conveniri debeat.

5. Adde quoque Clarum in Criminalibus q^o 36. ubi latissimè, quando Clericus pro delicto coram Ecclesiastico vel seculari conveniri possit & de earum exemptione.

6. Idem argumentum pulcherrimè exaravit & declaravit Ignatius Lopes Hispanus, in praxi ad Bernardum Diam. cap. 62. Mattheus Boyss D.

Regula locum habet, sive agatur criminaliter, sive civiliter, ut cap. 2. de foro compe. ubi statuitur, quod nullus Clericus distringi possit aut condemnari à iudice seculari, ad quod tex. in cap. unico. de Cle. conjugat. lib. 6. ibi trahi non posset criminaliter aut civiliter ad iudicium seculare. Nec ab ipsis secularibus iudicibus debere personaliter, vel etiam pecuniariter condemnari & quod prædicta consuetudo in contrarium non valeat, vide latissimè in deci. Roma. supra alleg. ubi quod ex nulla consuetudine quantumcunque vetustissima non potuit Rex Angliæ acquirere jurisdictionem in Clericos, maximè propter divini juris repugnantiam, & sequitur Gem. in alle. §. lege. 4. dist.

SEQUUNTUR LIMITATIONES

XXI.

I Fallit primo regula præsens, ubi Papa ex causa daret uni principi potestatem iudicandi de

IN ECCLESIASTICOS. 203

de Clericis certi loci vel territorij, ad quod adduco *Zaba in repe. dicti cap. perpendimus*, ubi tenet, quod Papa non posset tollere privilegium Clericorum quo ad forum, quia illud est de jure divino; non caerimoniali, sed morali: contra quod Papa non dispensat 25 qu. 1. cap. sunt quidam & sequitur Sicul. in alle, cap. 2. de major. & obe.

Et hoc verum, quando id vellet facere ex toto: quo ad unum autem, vel quo ad aliquos in particulari bene posset secundum, *Zaba alleg. cap. lector. 34 distinct.* & quod not. *Archi in alle. cap. sunt quidam ad hoc cap. unicum de Cler. conjug. lib. 6. secundum eum.* & bene facit. *cap. verum de foro compe. & cap. Romana §. debet de ap. libr. 6.* Prohibitio enim disponendi contra jus divinum in Papa procedit in dispositione universalis, quæ tollit jus divinum non in particulari.

A D D E

Nota hac & sequentia omnia ad verbum ex hoc auctore clepsit. Cassaneus tit. de Iustitia 85 num. 48 nec uno verbo auctoris meminit. Mattheus Boyß Doctor.

Et ideò, qua ratione dicit *Zabá*, quod unum Clericum subijcere potest Laico, videtur eadem posse dici de aliquibus Clericis in certis casibus respectu unius Principis sæcularis, sicut in §. *verum 32 dist.* Papa commisit duobus ducibus causam Clericorum symoniacorum & in cap. *mennam 2. qu. 5.* ubi Brunchildi Francorum Reginae causa spiritualis committitur & facit cap. *nos & si in competenter 2. qu. 7. ad idem tex. in cap. illud. 10 qu. 3.* ubi committitur laico, ne permittat ali-

aliquem Episcoporum Siciliae parochijs ad se pertinentibus nomine Cathedralici amplius quam duos solidos accipere, neque compellere presbiteros aut Clerum parochiarum suarum supra vires suas eis convivia preparare, ad quod *glo. in cap. Clericus nullum ii quest. 1.* Et si illud facere possit per viam delegationis, non minus videtur quod id facere possit per viam privilegij.

iiij. Propter quod Rex & Officiarij eius debent habere facultatem judicandi & puniendi civiliter Clericos in certis casibus, quos privilegiatos appellant, de quibus latius infra dicitur.

iiij Nec videtur, quod hic locum habeat argumentum de toto ad partem dicendo, Papa non potest hoc privilegium fori tollere in toto, ergo nec in parte, dari quidem potest instantia multiplex. Non posset Papa universi statuere super non solutione decimarum: & tamen particulariter id facere consuevit, & dispensat cum aliquibus. *glo. 2. in cap. à nobis de decimis. & ibi doctor.*

v Non posset statuere generaliter, quod Clerici in sacris non essent obligati ad horas dicendas canonicas, quia hoc esset contra jus divinum, quo canitur septies in die &c. *in cap. 1. de celeb. missar.* Et tamen Papa dispensare potest cum uno, si non super uno, saltem super tanto. *Immol. & Zaba post Lau. in Clem. 2. de cele. missis.* propter quæ alia plura quæ longum nimis esset recitare, videtur, quod Papa possit ex causa certos Clericos judici subijcere sæculari.

2, Limitatio.

Secundo fallit in Clerico falsum deponente coram
 seculari iudice, quia talem potest iudex secularis ci-
 viliter punire per tex. in l. nullum C. de testim. & ibi
 hoc tenet glo. Cy. & Bald. & Fred. de senis consil. 87
 quod incipit. Factum quod proponitur, ubi sic inquit.

A D D E.

Hunc locum nostri auctoris ponit & sequitur
 Benedictus in cap. Rainutius. §. & uxorem Ada-
 lissiam num. 142 Vide quae supra posita sunt sub
 num. 81 Sed de jure verior est communior sen-
 tentia, quod nec directè nec indirectè secularis
 Clericum talem puniat. Lopes ad Diam cap. 93
 in praxi. Matthews Beys Doctor.

Item ad hoc quod obijcit, quod Iudex Laicus
 non potest punire Clericum de crimine sive principa-
 liter, sive incidenter. Respondeo, quod coram eo
 non potest de crimine accusari. Sed dico quod iudex
 secularis Clericum agentem vel accusatum coram eo
 calumniosè vel falsa aut varia testificantem potest ex of-
 ficio extraordinariè punire: ita tamen quod execu-
 tio poenae si facienda sit in persona, reservet Episcopo.
 Si verò sit realis executio fienda in bonis illam poterit
 facere Iudex secularis, vel distringendo ejus fidejuf-
 sores, quos Cleric. ipse dederit. C. qui accu. non pos. l.
 3. Et eodem modo potest punire Clericum civilibus de-
 ficientem in expen. Et hoc sentit glo. 5. qu. 6. cap. pres-
 byteri: alius est. §. & ibi Archa fac. quod not. de ju-
 dic.

206 DE POTESTATE SÆCUL.

dic. cap. at si Clerici. idem tenet Pet. de Ancha. in repe. cap. ea. qua de regul. jur. lib. 6. sub questione 22. princips. dicens hujusmodi opi. Fede. fundatam in æqua consideratione, Et ista opin. de consuetudine servatur in præsentis regno.

Cùm autem una opinionum habet pro se consuetudinem, illa est præferenda, nam consuetudo est optima legum interpret. *cap. cum dilectus ubi hoc tenet Sicul. de consuetudine. per l. minimè & l. si de interpretatione ff. de legi & tenet idem Pe. de Ancha. in rep. cap. 1. de consti. In 4. oppo. & Sicul. in eo cap. 1. & in all. cap. at si Clerici de judi. & Clavas, in ver. opinio.*

A D D E.

Supra sub numer. 81 dixi quædam, Mattheus Boys, Doctor,

- 7
ij Et idem videtur de advocato, parte, vel notario, Clericis coram seculari Iudice delinquentibus, quia tales poterit ex officio civiliter punire: pro quo fa. no. *per Bart. in l. si quis obrepserit in fin. ff. de fal. per l. aphetas §. 1. ff. de his qui no. in fa.*
- 8
ij Et idem, si Clericus coram iudice seculari utatur falso instrumento, super quo vidi plura arresta: & inter alia Anno Domini 1389 per curiam parlamenti Parisijs fuit condemnatus Abbas Burgodalan. in 300 lib. Turo. capiendis super ejus temporalibus, & privatus omnibus officijs Regijs, quia commiserat falsitatem in quibusdam litteris quitantiæ, quibus se iuvaverat in curia.
- iiij Et de tempore meo quidam in Ecclesia Cathedrali qua

quadam, majorem dignitatem habens post Pontificalem fuit per curiam parlamenti Tholosæ *in C. lib. Turro condemnatus*, eo quod testes aliquos ad in eadem curia falsum deponendum dicebatur subornasse. Hostien. tamen & alij multi *in cap. super eod. de fal. & Archi. in cap. in memoriam 19 distinct. & Lucas de penna. in l. fi. C. de vetera. libr. 12* tenent contrarium, & istorum sententiam in mea repetitione tenui de jure veriolem existere per jura & rationes ibi deductas.

Sed quia prohibitum est Clerico coram seculari iudice testimonium perhibere: ut *in cap. testimonium 11 qu. 1. & cap. nullus 22 qu. 5.* nisi cum *licentia Episcopi. & in cap. super prudentia in fi. & seq. 14 qu. 2.* Si Episcopi testificentur sine licentia hujusmodi Clerici, an valeat depositio. Et concludit Sicut. *in cap. cum nuncius de testim.* quod sic, cum non reperitur expresse prohibitum, quando sponte deponit.

Et idem concludit de religiosis, cum simpliciter permittantur testificari, ut *Spe. tr. de test. §. 1. vers. 10* item quod est *Monachus & in cap. & si Christus in fin. de jurejur. & in §. cogitandum in auth. de monach. & ibi gl. & Bal. in auth. ingressi. 1. col. C. de sacrosanct. Eccle.* Et ita servatur de consuetudine: & tenet *Guido Papa qu. 65* licet aliqui præsertim quoad religiosos teneant contrarium. Sed quid si nolint testificari: dicit idem Guido ubi supra: quod in criminali non consueverunt compelli per iudicem secularem sine licentia vel Abbatis, si fuerint religiosi aut Episcopi, si seculares. Sed in causa mere civili, consueverunt cogi per iudicem secularem aliqua levi coercionem, puta per arrestationem æqui, vel alterius levis coercionis dum-

dummodo in personam coercitio gravis non interveniat propter *cap. si quis suadente.*

3. Limitatio.

Tertio fallit ubi Ecclesiastica potestas deficit, quia Iudex Laicus Clericos hoc casu poterit corrigere, ut *in cap. principes seculi. 23 qu. 5.* & ibi bona glo. ut cum schisma faciunt, & non possunt ab Ecclesia compesci: ut voluit glo. *in cap. tua 1. de decis. alleg. 27 distinct. cap. nec licuit 23 qu. 5. cap. de liguribus, & de sen. excom. ut fama.* Propter quod Sicul. *in alle. cap. tua* dicit sibi placere, quod si hodie aliqui contenderent de Papatu, & facerent schisma in Ecclesia Dei, nec possent corrigi per Ecclesiam, quia quilibet est potens, nec vellent congregare consilium, quod eo casu domini temporales possent in eos manum mittere, & eis invitis facere, sopire, & determinare dubium per Ecclesiam. Nam domini temporales ad hoc principaliter receperunt potestatem ut Ecclesiam Dei juvarent, ut *in alle. cap. principes.*

4. Limitatio.

12 Quarto fallit in degradato actualiter, quia talis est de foro seculari, *in cap. novimus de verb. sign. & in cap. 2. de pe. lib. 6.* tenet Io. An. *in cap. cum non ab homine & de jud.* Sed quid si talis Clericus dicit se contra justitiam degradatum vel aliquid alleget per quod appareat eum injustè degradatum, an sit de hoc per secularem iudicem cognoscendum; vide *Lucam de Penna in l. 2. C. de privil. scola. lib. 12.* Et ibi determinat, an lata sententia perpetuæ depositionis in sacerdotem, solemnisque degradatio celebrata, & tra-

ditus iudici seculari, per eum pœna legitima puniendus, an secularis iudex debeat eum, & causam ejus, & crimina iterum examinare.

ADDE

Ad hæc duas fallentias 4. & 5. adde Bernardum Dias in praxi criminali cap. 143 & 144 ubi egregie Ignatius Lopes Hispanus. Ad sequentem Fallentiam 6. de jocularatore. Adde eundem Bernardum Diam cap. 68 numer. 3. Martheus Boys Doctor.

5. Limitatio.

Quinto, quando Clericus est depositus verbaliter & postmodum, quia incorrigibilis excommunicatus, & deinde crescente contumacia anathematizatus, talis enim comprimendus est per secularem potestatem, ut est tex. in alleg. cap. cum non ab homine. & isto casu secundum Io. An. & Sicul. non est opus degradatione actuali.

6. Limitatio.

Sexto fallit in Clerico Jocularatore, qui anno vel tertio admonitus non desistit, quia talis est ipso jure privatus Clericali privilegio tex: est in cap. unico de vita & honestate Cler. lib. 6. quod procedit etiam in Clerico, in sacris ordinibus constituto, secundum Archi. & do. de Sanct. Ge. licet Io. Mona. contra: sed dicit Rota decis. 349 in antiquis. quod inter opiniones diversas super 6. præfertur opinio Arch.

7. Limitatio.

Septimo Fallit in Clerico conjugato non deferente

15

tem clericalem 8. Limitatio.

16 Octavo fallit, si Clerico in minoribus constituto, qui duas uxores habuit, vel cum vidua aut corrupta contraxit, quia talis subditus est coercioni fori secularis, ut *in cap. unico. de biga. lib. 6.* Secus de monacho vel constituto in sacris, qui contraxit cum vidua, vel corrupta, quia licet iste sit bigamus, quo ad quid, scil. executionem officii, non autem quo ad hoc, ut perdat privilegium Clericale, ita tenent *gl. in cap. quisquis 84. dist. 10. Cal. Io. mo. Archi. Io. in An. & Domi. in alle. cap. unico. Io. An. & Siou. in cap. Io. de Cle. conjug. licet Bonagui. in cap. de bigamis. eo rit.* teneat, quod sacerdos qui contraxit cum vidua, vel duo matrimonia successivè, & postea commisit homicidium, poterit puniri per iudicem secularem. *per d. cap. unico.* sed præcedens opinio verior est secundum Calva. *in ver. bigama. §. 10.*

Item de eo, qui contraxit cum unica & virgine, cujus uxor postmodum notoriè fuit adulterata, quia licet sit bigamus quo ad legem promotionis, non autem quo ad privilegium Clericale concessum Clericis conjugatis, ita tenet *deci. Capella. Archiepiscopalis 64. & ibi vide, per me in addi.* Et idem de eo qui contraxit cum virgine, quæ nondum cognita decessit, & postmodum cum alia contraxit, quia talis non est bigamus, ut tenet *Capel. deci. 254.*

Quid autem de illo qui contraxit cum unica & virgine, qui cognita discessit à prima, unde mulier cum iudicio Ecclesiæ cum alio contraxit, dein primo viro reverso cogitur ipse cum eadem adherere, an sit bigamus.

Et quid de eo, qui credebat uxorem esse virginem

nem tempore consummationis matrimonii, & invenit eam corruptam, vide *Capel. deci. 216. & in addr.* Et dic in summa, quod *præal. cap. unic.* intelligitur de de bigamo vero qui habuit plures legitimas uxores 26. *dist. cap. acutius. & cap. seq.* si Abbas cognovit alias secus *Ar. in cap. debitum. de bigamis*, intelligitur etiam prædictum caput unicum de bigamo interpretativo, quando, sicut præfertur non est in sacris vel religiosus, ut puta quia contraxit cum corrupta. 33. *dist. cap. maritum & cap. à nobis e. tit.* si illam cognovit alias non *dist. cap. debitum*, idem quando reddit debitum uxori adulteræ 34. *dist. cap. si cuius & cap. sequ.* etiam si ad præceptum Ecclesiæ redderet, secundum cõmuniorem opinionem & etiam si ignorabat eam adulteram secundum Sicut. *in cap. si vir. de adul. alle. 17. dist. cap. sicut. & de biga. cap. 2.* Tales enim videntur nudati omni privilegio clericali, & astricti foro sæculari, & eis sub excommunicationis pœna, prohibetur ne deferant tonsuram vel habitum clericalem *dist. cap. unico.* & si portant, peccant mortaliter secundum Clava, ubi supra. §. 12.

N O N O F A L L I T.

In laicis carnificum seu macellariorum, aut tabernariorum officium publicè & personaliter exercentibus, qui si tertio nominatim moniti non desisterint, aut resumpserint quodocunque si sunt conjugati, perdunt omne privilegium clericale. Non conjugati vero si omnino ut laici incedant quamdiu præmissis institerint, eo ipso etiam perdunt privilegium clericale, ut in *Clemen. prima, de vita & honestate clericorum.* Quam Mathe. & Zenze. voluerunt

luerunt etiam intelligere in aliis vilibus officiis sicut in lenonibus, custodibus publicorum balneorum & similibus, sed gloss. Imol. Zaba. & Sicu. contra, quia solum habet locum in macellariis & tabellariis. Et serias quod anno Domini. 1453. per curiam parlamenti Tholosæ fuit injunctum officiali Tholosano quatenus exqueretur prædictam, cler. quod fecisse asseruit & ulterius facturum obtulit.

10. FALLIT.

18 Ubi iudex secularis non jure proprio, sed ex Sedis Apostolicæ delegatione cognoscit de causis criminalibus & spirit. clericorum *ar. in §. veram. 22. di. ubi Papa commisit causam clericorum symoniacorum duobus ducibus dando potestatem deponendi eos, bonus tex. in ca. manna. 2. question. 5. ubi fortius patet quod arbitrio Brunchildis Reginae Francorum commisit Papa purgationem infamæ, quam de symonia patiebatur quidam Episcopus. ad idem gl. in cap. decernimus, de judi. in vers. presumant. glo. in alle. §. verum glo. in cap. bene quidem 96. di. de quo per glo. in cap. pervenit. 95. di. bonus tex. in cap. illud 10. quest. 3. juncta gl. in cap. cle. nullum. 11. q. 1. & dixi supr. in fall. primo.*

A D D E.

Hæc limitatio parum distat à prima limitatione, Mattheus Boyss Doct.

Idem tenent Hosti. Jo. An. Anto. & Sicu. in alle. cap. decernimus. Bal. in l. rescripta C. de præci. Impe. offe. Io. Fari. in Auth. statuimus. C. de Epif. & Cle, & per Io. An. in cap. unico. de clericis conjug. l. 6. Idem Sicu. in cap. Ecclesia S. Mariae de

IN ECCLESIASTICOS

213

*de consti. & in cap. 2. de foro compe. Arch. in cap. ab
arbitris de officio delega. lib. 6. ad quæ facit quæ
posui supra in prima fallentia.*

II. FALLIT.

Ubi quis assumpsit clericatum postquam fuit cap-
tus à iudicè sæculari, puta quia in carcere se fecit cleri- 19
cari vel fecit professionem, quia hoc sibi non prodest,
est enim causa & persona præventa, Et in dubio id vi-
detur fecisse in fraudem, ut *ff. de his qui sibi mor. consti.
l. si. ita lo. An. in cap. unico. de obl. ad ratio. & in cap.
Ioan. de cleri. conjuga. & in cap. ex parte, lo. 3. de pri-
vile. & istam partem sequuntur communiter omnes
legistæ maximè Guil. de Eug. in penul. ff. si ex nova
causa agatur. Idem Bar. in l. 1. ff. de præ. de quo plenè
in deci. cap. q. 144. & ubi per me in additione Zaba. in
repe. cap. perpendimus. de senten. excom.*

Secus autem si ante iudicium inchoatum assumpsit cle-
ricatum, quia tunc sine dubio coram ecclesiastico ju-
dice debet conveniri postquam iudex laicus non præ-
venit, ut *in cap. proposuisti. de foro compe. & l. si quis
postea. de judi.* Ubi vero post iudicium inchoatum
coram iudice sæculari efficitur clericus, sunt opinio-
nes diversæ de quibus per Io. And. & doct. *in allega.
cap. unico.*

Communiter tamen in hoc casu sequendo opi-
nionem Io. An. concludendo quod in civili & crimi-
nali nulla debet fieri districtio per iudicem sæcularem
ut ponere in carcerem, detinere, & similia. Nec e-
tiam aliqua executio in personam clerici, nam cleri-
catus eximit personam quo ad omnem manus inje-
ctionem & districtionem,

Sed non eximit causam à jurisdictione præveni-
entis quo ad ipsius processum & instantiam finien-
dam,

nam, & realiter quo ad bona exequenda; & si
erit iudex causæ non personæ, ut in isto habetur in
cap. sane de foro compe. Idem tenet *Specul. in vi. de reo
ver. sed quid si est criminalis* & *Arch. 10 quest. 1. cap. 1.*
ubi satis de hac materia, & vide quod legitur &
no. in l. hoc accusare §. 1. ff. de accusa & per *Lucam
de penna in l. fi. C. de vetera. lib. 12*

Et quæ dicta sunt in clerico, idem dicitur
in professo maximè ordinato facit. *de pe. distinct. 1.
cap. si his auctoritatibus* & *32 quest. 2. cap. admo-
nere*, & ita concludit *Ioan. Andr. in alle. cap. u-
nico.* Et si crimen exigat pœnam capitis aut furca-
rum dicit *Bart. in alle. l. 1. ff. de pe. post Iacob. Bu-
dy & Guil. de Cug. quod Episcopus debet eum
degradare & tradere iudici sæculari. cap. cum non ab
homine de judi. & l. qui cum uno §. reus ff. de re
mili. & Authen. Clericus C. de Episc. & Cle. idem
tenet Bal. in l. Officiales eo ti.*

Sed quia Episc. se reddunt difficiles in hujusmo-
di degradationibus, iudices sæculares excedunt ter-
minos suos, & de talibus sumunt supplicium, ut
ait *Bar. in alle. l. 1. idem ut supr. dicit & tenet Pe-
de Ancha. in repet. cap. eam quæ de regul. jur. lib. 6.
13 question,* de quo vide per *Oldra. consi. 4. per Bart.
in l. pan. ff. de juramen. om. judi. Bal. in Authen.
causa quæ sit cum mo. & in l. placet. C. de sacrosanct.
Eccles. Angel. in alle. l. 1. ff. de pan. Ioan. de Ana post
Pet. de Ancha in cap. ad falsariorum de fal. in 13 col.
Zaba in cle. ne in agro §. quia verbo in 8. quest. de statu.
mo. Bal. Ange. & Imol. in l. nemo potest. ff. de dele. 1.
Bal. in l. affinitatis. C. communis de successi. & in
l. 2. C. ut in poss. lega. Ia. Bu. in l. pe. ff. si ex noxa
cau. agat. Bal. in cap. cum non ab homine ulti. col.*

de

IN ECCLESIASTICOS.

215

de ju. Ia. Bu. in l. quisquis le. 2. C. de Epis. & Cle. Imol. in cap. eam te. 2. col. de rescrip. Sicul. in cap. quod clericis de so. & in cap. proposuisti. eo. tit. & Kely. in Authen. statuimus C. de Epis. & Cle.

Adde quod Epis. vel iudex ecclesiast. cogitur punire Clericum de crimine condemnatum à iudice laico, antequam fuerit clericus; ita dicitur: *Bar. in l. cum quadam puella. ff. de iuri. om. judi.* dicens isto casu iudicem sæcularem esse majorem iudice Ecclesiastico alle. *Cy. idem tenere in l. properandum §. sit. autem. C. de judi. idem Iano. in cap. 1. de of.*

A D D E

Si Laicus delinquens post fiat clericus antequam conveniatur vel accusetur, postmodum à laico iudice coerceri non potest, nisi forte fuerit preventus per citationem, vel fuerit degradatus vel nisi in fraudem jurisdictionis sæcularis ad clericatum accesserit, Panormitanus in cap. 1. De obligatis ad ratiocinia non ordinand. Couvaruvias in cap. 32. practica quest. Iason. in l. cum quadam. De jurisdictione omnium iudicum. Cossalius in l. Si quis postea eodem tit. Mattheus Boysß Doct.

12. F A L L I T.

In casu violationis seu infractionis saluæguardiæ, de quo contra Clericos quoscunque iudices regii in regno pœnitenti cognoscere consueverunt, & de huiusmodi ratione clericos pecuniariter punire, pro quo *la. l. 2. ut nemo privatus tit. pra. C. ibi miles vel cleri-*

Q

cur, & ibi executoresque hujus legis omnes iudices
 &c. Et de hoc Rex & ejus officarii sunt in possessione
 & saisina à tempore cujus initii memoria non existit,
 quid tempus immortale juxta theoreticam *lo. Mo. in*
cap. 2. de præben. lib. 6. operatur idem quod privile-
 gium, *cap. super quibusdam. §. præterea. de ver. signi.*
l. hoc jure §. ductus aquæ. de aqua. eo. & quest. &
cap. 1. de præscrip. lib. 6. cum concor.

A D D E.

Hunc locum Citat Benedictus in c. Reinutius
§. Uxorem nomine Andeli si ad decis. 2. n. 147.
& tradit idem ibidem, n. 143. Math. Boyß D.

Nec obstat si dicatur illud locum habere quã-
 do præscribens est capax possessionis, secus ubi
 esset incapax ut voluit Sicul. *in ca. causam de præ-*
script. & in cap. quanto de consue. & in cap. novit. de
jud. Anto. in ca. pervenit de censu. Bal. in l. omnes in
sine C. de præscrip. 30 an. Domi. in cap. catholica
dis. & in all. ca. 2 de præben. Sicul. & Ana. in ca. ad
hoc de symo. ad quod gl. in cap. nobis de iure patronat.
super ver. de jurisdictione. & cap. quod sicut, de elec.
in verb. impedire. ibi. Sicul. unde Zaba consilio 89
 dicit quod licet Ecclesia præscribat alienas deci-
 mas cum titulo vel solo cursu temporis imme-
 morialis, non tamen laicus, quia temporis eum
 capacem efficere non potest. Ad quod responde-
 tur verum esse regularit. quod ex solo cursu tem-
 poris quis fieri non potest capax de incapaci, ut in
 juribus & concor. allegat, Fallit tamen si una cum
 tali possessione immemoriali, concurrat fama
 privilegii, quia ne propter difficultatem proban-
 di rem tam antiquam pereat jus partis, præsumi-
 tur

tur pro privilegio. Non ergo solum tempus hoc inducit, sed præsumptio privilegii probata diurnitate famæ, quam clarè tenet Imol. post Zaba. in cap. cum Apostoli, ca. 9. c. col. ver.

Nec obstat prædictis, de his quæ fiunt à præ. idem Zaba in alleg. cap. causam, idem Domi. in cap. 2. §. sanè de decij. l. 6. & idem Zaba in quadam subscriptione ad consilium Zizoli de cautelis, quod incipit: Cum lis & quæstio & est in fine consiliorum Pet, de Ancha, facit decitio lo. An, in regula juris qui contra jura merca. ubi concludit quod licet nullo temporis spatio ecclesiarum unio possit induci, ut tenet Hosti. in cap. quoniam, de vita & hon. cler. & in summa de sup. ne præ, §. 1, Si tamen probetur quod Ecclesiæ tempore immemoriali, tentæ fuerint vel unitæ, probata censetur unio præsumptivè, & allegat quæ dixi in allegato capite. cum Apostolica, idem Oldra. consilio 396 Zaba in cle. 1. in principio in 20 q. de sup. neg. Præl. Sicul. in cura de jure patron. glo. in cle. in ver. ad mensam de exces. Præl. Pet. de Anch. consil. 157 ad idem in cap. 1. de præscr. l. 6. Bal. in l. cum de in rem verso ff. de usuris.

Quod autem facultas cognoscendi civiliterq; puniendi de certis criminibus aliquorum clericorum per judicem sæcularem sit quæstibilis, privilegio jam satis tactum esse videtur supra in prima fallentia. Ultra quæ adde quod dicit Sicul. in alleg. cap. causam de præscrip. quod privilegium Papæ potest concedere laico capacitatem spiritua- lem, gl. in cap. imperium 10 dist. & 25 q. 7. in summa in fi. Jo. An. in addi. Specul. tit. de lega. §. nunc tractemus ver. sed nunquid legatus, Inno. in cap. quod sicut in gl. Episc. de elect. Antho. post Joan. An. in cap. nobis de jure patro. Jo. An. in Spe, de præbend. §. penult. gl. in cap. laicis 16 q. 7. Bal. in l. rescrip. penult. col. lum.

colum. C. de princi. impe. offe. Pet. de Ancha. in cle. per litteras de præben. Anth. in cap. Masana de elect. cap. in nostra de præscript. ca. quanto, de jud. & cap. præterea, lo. 1. de jure patro. Sicul. in cap. dilectus de offi. l. Imol. in cap. quod in dubiis, de remun. & in cap. ad supplicationem, eo. titul. & Zaba in consilio 99.

Sed sic est quod in nostro casu una cum prædicta possessione immemorabili concurrat fama privilegii. Nam sicut notorium est quod officarii regii, & alii regnicolæ prædictum casum violationis salvæguardiæ & quosdam alios, de quibus domino concedente subdicetur, casus privilegiatos appellant. Igitur prædictum privilegium ex tanto temporis cursu cujus initii &c. præsumptivè censetur esse sufficienter probatum per rationes & jura ac oppositionum Doctores & concordantias superius allegatas.

Et præsertim quia scientia Principis cum tolerantia in materia quælibet privilegio, facit validam consuetudinem generalem pœnitentis regni ut no. *Ant. & Sicul. in c. 1. quia circa, de consan. & affi. & idem Sicul. in c. 1. de treu. & pace, item Domi. in c. catholica, 11 dist. alle. gloss. pe. in c. pœni. de fi. præby. Oldra. consil. 253 ubi dicit esse regulam generalem. quod consuetudo nota ei qui privilegiare. alle. Inno. in c. cum contingat de foro compe. & in c. novit. de jud. & in ca. si diligenti, de præscript. unde Arch. in c. obeuntibus 63 distin. dicit illi canoni esse derogatum per contrariam consuetudinem quam Papa scit & tolerat.*

De salvæguardia & quo & per quem debeat impetrari & concedi & quæsit. violatores & à quibus sint puniendi, ego latè posui in addit. ad quæstio. cap. 489 & vide *concor. quas posui in stilo cur. tit. de assecura. § ff.*

ADDE

A D D E

*De violatore salvaguardia latissime Guido de-
cis. 418 & Capella Tholoff qu. 489 Mattheus
Boys Doctor.*

Sciendum est autem quod executio emendæ per clericum debitæ, ratione violationis prædictæ, fieri debet in bonis immobilibus temporalibus, quod no. Oldra consil. 17 & ita fuit consilium in concordatis factis inter officarios spirituales & temporales præsentis civitatis Tholosæ. Anno Domini 1386 & antiquitus dicebatur per curiam sæcularem quod temporale Clerici in hujusmodi & similibus casibus detineretur ad manum regis donec sibi soluta fuisset emenda. Hodie vero utuntur alijs verbis scilicet condemnationis.

Unde anno domini 1399 die prima Martij cum quidam clericus in simili casu condemnatus in emendam, non haberet temporale, dictum fuit per curiam parlamenti, quod idem clericus solutus teneret prætionem in curia episcopi parif. 1. usque ad satisfactionem. Et hoc ne arrestum primum remaneret illusorium. & quia dicta emenda descendebat ex delicto ad quod *fa. cap. gravis de depe.*

13 LIMITAT.

In portu armorum, quoniam clerici de hujusmodi delicto per judicem sæcularem possunt civiliter puniri, pro quo videtur tex. secundum Io. *Fa. in l. addictos. C. de epi. audi. & ibi gl. super verbo vindicetur.* Nam armorum delatio clericis est interdicta. *cap. 2. de vi. &*

Q3

ho.

220 DE POTESTA. SÆCUL.

ho. cleri. & l. laicis C. ut armo. usus in scio principe in-
terdictus sit. lib. 11. Et de hoc Rex & ejus officarij in
præsenti regno sunt in possessione, & saisina à tem-
pore cujus initij memoria non existit concurrente fama
privilegij, & propterea dicitur iste unus ex casibus
privilegiatis, ad quod vide quæ scripsit in præce-
denti fallentia.

A D D E.

Hanc Fallentiam quoque tradit Ioannes Re-
din Gallus tractat: de majestate principis 2. part.
num. 166 in verbo. Non armis solum decoratam:
Qui habetur in Tomo 16 tract. Sed eam de jure
impugnat Couvarruvias in pract. questionibus c.
33 nu 7. quem sequitur Ignatius Lopes ad pra-
cticam canonicam Bernardi Dias cap. 55 in §.
apud Gallos. ubi citat hunc nostrum authorem,
dicitque hanc fallentiam ex privilegio esse Ro-
manorum Pontificum, & putat illud privilegium
jam per Bullam Cœna Domini revocatum esse.
Vide Clarum de criminal. §. fin. question. 35 nu.
26 Mattheus Boys. Doctor.

Et intelligo prædicta in armis offendibilibus secus
autem de armis defensibilibus. Nam ista possunt assu-
mere clerici ad sui defensionem, ut cap. in dilectio. de
sen. excommunic. lib. 6. & cap. olim. 1. de restit. spol.
& ibi Bald. Sicul. & Doct. Et appellatione armorum
veniunt arma facta principaliter ad nocendum. Ange. in
l. armatos ff. ad l. Jul. de vi. pub. Non tamen venit cul-
tellus ad scindendum panem pro quo gl. ne. in auth. de

armis §. fi. col. 6. & glo. super rubrica de fabricens. lib. 6. Si vis latius videre quid veniat appellatione armorum in statutis vel jure communi, vide. Ange. Are. in ver. Stocco ferro in tracta. de crimi.

ADDE.

Armorum appellatione veniunt propriè loquendo tantum gladij, hasta, sagitta, framea, sive lancea, scuta, lorica, arcus, galea. Sed impropriè veniunt etiam lapides & fustes, de quib. vide §. Telum, de publicis judicijs. §. Qui autem vers. armorum de interdictis, plura Alciatus & Mantua Patavinus in l. armorum. De ver. significat. latissimè Menochius de arb. jud. casu. 394 luculenter admodum Ioannes Petrus Molignatus tract. de verb. signifi. in verbo armorum appellatione, ubi monet, quod appellatione armorum veniat omne, quod aptum est ad nocendum per apostillam ad Bart. in l. 3. §. idem de armata. Distinguit etiam ibidem inter arma offensiva. & defensiva. Antiquis manus, ungues & dentes arma fuerunt. Hinc illud Lucretij.

Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt.

Et lapides duri, & sylvarum fragmina rami.

Sic Horatius.

Unguibus, & pugnis, dein fustibus, atq; ita porro pugnabant armis, Mattheus Boyß Doctor.

Adverte quod de consuetudine generali. Franc.

Q

of-

222 DE POTESTAT. SECUL.

officiarij regij cognoscunt de portu armorum facto in terra Comitum & Baronum, quamvis de jure communi omnes habentes merum imperium de illo possint cognoscere, ut tenet *Pet. Jacob. in titul. de condictione. ex l. Insti. de ac. §. quadrupli.*

Sciendum est tamen quod in concordatis officiorum curiarum spiritali & Regiæ Tholosæ fuit inter alia conclusum quod gentes regiæ compositiones non reciperent à clericis nisi in casibus à jure permissis, vel de generali consuetudine regni ut portationis armorum per medium turbæ in numero decem, quod tamen impræsentiarum malè servatur quo ad ultimum.

14 LIMITATIO.

22 Cum per clericos fit offensa regij officarijs officiendo, & ita fuit etiam in præallegatis concordatis conventum per *l. unicam ff. si quis jus distinct. non ob.* ubi textus quod omnes judices possunt inobedientes punire & suam jurisdictionem pœnali judicio defendere, videlicet magnus judex in magnis causis, & magnis multis, parvus in parvis, & parvis multis secundum Bart. & Bald. ibidem juncta glossa. Alias jurisdictio temporalis ludibrio posset esse, & illusoria. ad quod textus in *cap. 1. & ibi. Inno. Sicul. & Doct. de offi. dele.* ad quod bene facit. *cap. Romana de pœnis lib. 6. Specu. in ti. de Jur. omn. judi. in ver. si. & ibi Io. An. propterea Inno. Hosti. & Doc. in cap. dilectus 2. de rescrip.* dicunt quod judicis interest suam tueri jurisdictionem. Ad quod *fano. per Bal. in l. si quis ff. de jurif. omn. jud.* ubi dicit quod ubicunque est offensa jurisdictionis vel fracti fines aut spretum præceptum judicis qui scilicet de populo admittitur ad accusandum refert Dy. ita consuluisse per dictam legem. Dicitur autem offendi jurisdictionis secundum Bart. sed clarius per Bart. *per alle. l. unica.* Primo per contumaciam, & hoc in quolibet genere
cun

contumaciæ quæ habet impedire partes judicis quominus sortiantur effectum ut in contumacia non veniendi. *l. contumacia ff. de re. jud.* In contumacia non patiendi, *ff. ne vis fiat ei. s. si quis jussus.* Et in contumacia non restituendi. *l. qui restituere ff. de re. ven. de ap. l. creditor §. jussus.* Per contumaciam autem non probandi non offenditur prætor, & ideo non punit nisi per executionem à jure probandi. *l. non ex omnibus ff. de arb. cap. coram de in integ. resti.* Neque per contumaciam non agendi vel non accusandi, imo non mulctat contumax sed à judicio excluditur. *l. diffamari. C. de inge. & manu & per Inno. & Doct. in cap. conquerente de off. ordi.* Neque per contumaciam non appellandi, sed bene per contumaciam non respondendi: quia judex non potest impunè contemni: unde poterit mulctare, ut in *§. si. d. l. unica, Offendit & per calum, ut no. insti. in prohe. in ver. calumniatione iniquitatis:* ideo potest calumniantem necem excipientem repellere ut *l. qui cum major. §. si patris ff. de bo. lib.* Etiam offenditur magistratus & dignitas sua per verum delictum in eum commissum, ut dicam in fallentia sequenti, sed non est omittendum quod de casu possunt, fallentiæ Rex & ejus officium sunt in possessione & saisina. sicut dictum est de casu fallentiæ præcedentis. XV. fallit ubi cle. volunt usurpare jurisdictionem regiam, nam tunc possunt mulctari, per judicem sæcularem. Et ita cavetur in præallegatis concordantijs, & de hoc Rex & ejus officium sunt in possessione, &c. sicut in præcedentibus fallentijs jam dictum est. Ad quod videtur facere. *cap. ex parte de verb. sign. ubi permittitur judi. defendere jurisdictionem & territorium suum ad idem tex. in all. c. dilecto de sen. ex. li. 6. junct. no. per In no. 1. cap. olim. inf. de rest. spo, &c. dilectus de pe. ubi dicit ordinario competere jurisdictionem in extraneos impediens ejus jurisdictionem per dictum cap. 1. de off. dele.*

Quia

Quia omnia sine quibus &c. ut in *cap. praterea* *cap. sane* & *c. prudentia. de of. dele. l. ad legatum* & *l. ad rem mobilem. ff. de procu. & l. 2. ff. de juris. om. judi.* Et similiter quando advocati deficerent in advocacione coram eo, vel testes in testificando, aut scripturis in act. *alle. l. moris. ff. de pen. l. nullum C. de testi. & l. questum ff. eo. sit.* facit quæ dixi super in 2. *fallen. & no. per Inno. in cap. venerabili. de censu.* Quinimo dicit Bal. in *Marga. in ver. judex.* quod judex superior in aliquo territorio, potest suam jurisdictionem defendere etiam cum ense & in bello; quod dicit esse verum, si jurisdictio erat evidens & notoria, sed subditus vel aliter subtrahebat sibi exercitium jurisdictionis.

16. FALLIT.

- 24 In clerico artifice in artificio delinquente; quia secundum Bal. in *addi. Spe. vis. de reo. ver. Sed quid si scholaris &c.* potest conveniri sub rect. vel carmelingo occasione illius artis *l. fi. C. de juris. om. jud.* nam clerici negotiatores quantum pertinet ad illam negociationem secundum Tancre, jure communi laicorum uti dicunt, *C. de Epis. & Cle. l. 2.* Isti enim ut dicit, non sunt puri clerici. *ar. C. de Sacrosan. Eccle. l. sub prætex. & de vita & ho. cle. cap. fi.* & optimè fa. *predicta. l. fi.* ubi miles exns in collegio non potest declinare jurisdictionem Rectoris vel præpositi ipsius collegii prætextu cujuslibet militiae vel cinguli, aut dignitatis, fa. *no. per. Inno. & Doct. in cap. cum ab Ecclesiasticorum. de offi. ordi. unde Ab. Ant. in cap. fi. de vita & ho. cle.* tenent quod clerici tenentur servare statuta loci ubi negociantur, & ita etiam dicit Bal.

IN ECCLESIASTICOS. 225

Bal. *in marga. ver. clericus. ver. 19.* quod similiter tenet Bar. *in l. cunctos populos C. de Sum. Tri.* sed illud intelligitur quando statuta non sunt contra privilegia clericorum, quia talia non ligant clericos nisi post trinam monitionem *juxta præalle, cap. si, secundum Anto. & Sicu. ibidem.*

A D D E.

Latissimè hanc fallentiam explicat Cassaneus in consuetudines Burgundia rubr. I gloss. 5. in verbo s'il n'y a grace nu. 90. Marth. Boys D.

Unde dicit ibidem Sicu. *in dist. cap. cum ab Ecclesiarum*, quod de laicis certum est quod si exercent aliquam professionem licitam, puta quia sunt scholares, barbitonfores, futores, & similes, possunt isti congregari & eligere rectorem, qui super eos habeat jurisdictionem ordinariam in civilibus in his quæ sunt occasione societatis, & professionis, ut est casus no. *in præal. l. si.* dicit tamen in cleri. multum dubitare propter *cap. signifi. de fo. compe. & cap. de persona. ii. qu. 1.* unde non recederet, ut dicit à canonibus disponentibus super jurisdictione clericorum, propter illam *l. si.* Sed dic quod *dicta l. si. ne dum*, habet locum in civilibus, immo etiam in privato delicto concernente professionem, ut quia venit contra statutum, vel negociationem in aliqua sui specie, vel falsificavit secundum Bar. Bal. & Sal. *in alle. l. si. & Ange. consil. 5.* Et quicquid sit à tempore cujus iniurii, &c. clerici artifices quando delinquant in illa arte vel abutuntur, judicantur per bajulos illius artis, & per iudices sæculares hujusmodi in hoc casu civiliter puniuntur.

niuntur Unde anno Domini. 1394. per arrestum curiæ Parlamenti Parisiis, dictum fuit quod clerici committentes ab usum in officio chirurgiæ vel Policia super hoc tenentur coram sæculari iudice respondere.

17. FALLIT.

45 In clerico assumente administrationem & officia laicorum, in quibus si delinquant, curia sæcularis consuevit illos civiliter punire pro quo fa. *tex. in cap. sacerdotib. ne cle. vel mo.* scilicet opi. illorum, qui sumunt ar. ex illo *tex.* quod laicus iudex auctoritate illius capituli possit clericum occasione administrationis capere, privilegio clericali cessante, quasi videantur dicto casu nudati privilegio prædicto propter quod ab ecclesia non defenduntur, quia frustra legis auxilium, &c. *cap. quia frustra. de usur.* & indignum est ab eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat scandalum in Ecclesia generari, *ut in dist. cap. sacerdotibus.*

A D D E.

Hanc Fallentiam citat Benedictus in ca. Ratinutius §. uxorem Andalisiæ n. 155. ubi plures alias refert limitationes, Mathæus Boyss Doct.

Sed istorum opinio reputatur falsa. per gl. Gofri. Inno. Host. & Sicu. ibi. & per Clavas. in ver. clericus. §. 3. qui dicunt hoc locum non habere nisi præcedente trina monitione, per dictum *cap. si. de vita & hone. cle.* vel secundum Hosti. in *summa. in tit. ne cle. vel mo. facta.* synodali prohibitione & monitione, ut desistant à talibus sub pœna perditionis privilegii cle. quæ monitio synodalis secundum eum videt æquipollere trinae monitioni & istud ait Hostien. ubi Proxi. *supr. §. 2. ver.* Ego intelligo, quod Sicu. non placet, quia ubicunque agitur ad pœnam incurrendam, & jus exigit trinam monitionem vel citationem una e-

tiam

IN ECCLESIASTICOS 227

tiam peremptoria non sufficit, nec habet vim trinae monitionis, aut citationis: & hoc voluit *gl. in Cle. 1. de vita & ho. Cler. in ver. 3. Io. An. in cap. [ex ruc. do Cle. non resi. idem Io. An. in addi. Specul. super eodem titu. idem dicit Sicut. in alle. cap. fi.*

Addens quod non sufficeret citatio generalis, ut omnes Clerici desistant à talibus, immò requiritur quod sit specifica, ita quod apprehendat eos, quod dicit esse contra quosdam praelatos, qui faciunt huiusmodi monitiones in genere, veruntamen in casu nostro pro opinione Hosti. bene facit tex. *dicti cap. sacerdotibus in primo.*

Et non obstante opi. communi, de qua supra, de tempore meo vidi, quod officarii regii cum delinquant in officio, licet sint Clerici conjugati cum unica & virgine incedentes in habitu & tonsura Clericalibus, aut etiam Clerici soluti, vel etiam presbyteri; puniuntur per iudices seculares, & inter alios vidi de quodam iudice in curia parlamenti, qui ibidem licet esset Clericus conjugatus cum unica & virgine, nihilominus coactus fuit respondere, de abusu sibi imposito in decapitatione ejusdem notabilis in loco de Miramonte, & de pluribus aliis, vide *Petrum Jacobi, in tit. de conditione ex §. Quadrupli. instit. de actionibus.*

ADDE. ad fal. 17.

Clericus consiliarius Principis, si in officio delinquat, à seculari puniri non potest. Hunc citat locum Couvaruvias in practicis observationibus, cap. 33. n. 6. Clarus §. final. in criminal. q. 26.
Sed

Sed tamen addit malè servari consuetudinem per Principes seculares, qui tales Clericos officarios premant, nec non pecuniarijs pœnis mulctent nec etiam in Gallia servatur jus commune. Cassaneus in consuetud. Burgundia rub. 1. §. 5. in glossa, s'il n'y a grace. Notavit Ignatius Lopes ad Bernardum Dias in praxi criminali cap. 61. littera B. Mattheus Boyss Doctor.

18 Fal. In assassino.

Decimo octavo fallit in Clerico assassino. Quia talis potest etiam criminaliter puniri per judicem temporalem absque alia degradatione, per cap. 1. de homi. libr. 6. ubi quicumque princeps, & quantumcunque magnus prælatus seu quavis alia persona Ecclesiastica, vel secularis quempiam Christianorum assassinos occidi fecerit, vel mandaverit quamvis mors secuta non sit, aut eos receptaverit vel occultaverit, aut defensaverit excommunicationis & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrit sententias ipso facto, est etiam cum omnibus suis bonis mundanis perpetuò diffidatus, & bannitus à toto populo Christiano, quæ verba important quod impunè possit occidi, secundum Angel. Perusi. consilio 13 & sequitur Gemi. in alle. cap. 1. quia idem est bannire & diffidare, quod statuere & præcipere, ut impunè possit occidi, ut no. in l. reos. C. de accusa. Quod etiam in conscientia liceret quando fieret zelo justitiæ, alias non, secundum Clavia. in ver. assassinus versi. 2. diffidati enim de jure canonico videntur pro jure degradati, nam sunt hujusmodi personæ à jure expositæ, & datur cuicumque facultas capiendi personas: ut in cap. unico de schisma. sunt enim diffidati

dati cum personis & rebus, & sic à jure videntur spoliati privilegio Clericali, & positi in potestate cujuslibet Christiani, ut vult. *tex. in alleg. cap. 1.*

ADDE.

Adde de Clerico assassino, quod per Laicum puniatur, & de origine eorum vide pulcherrima apud Ignatium Lopes in pract. Canonica, cap. 96 numer. 4. & sequentibus. Clarum questione 62 numer. 29 Gabrielium latissime in communi opinio. Mattheus Boyss Doctor.

Nec requiritur alia sententia, postquam probabilibus constiterit argu mentis, istud scelus commississe, ut continetur ibidem quod intelligit *Clava. ubi supra ver. 4.* ut non requiratur alia sententia, secundum quam det licentiam occidendi & hujusmodi, quia sufficit quod sit declaratus assassinus vel fautor, ad quod bene fa. *cap. cum secundum leges. de here. libr. 6.* Degradatio autem nihil aliud est quam denudatio omnium privilegiorum Clericalium: ut in *cap. degradatio. de pe. eo. libr. facit quod not. Io. And. in cap. cum non ab homine de judi.* ubi tenet quod Clericus incorrigibilis potest per Laicum puniri absque aliqua degradatione. Ita dicit & tenet *Domi. in alle. cap. 1. in fi.* de quo ultimo dicto vide quæ supra scripsi in secunda.

Decimonono fallit in Clerico, qui post assumptum Clericatum immiscuit se enormitatibus & sævis, & diu in illis perseveravit habitu & ton-

confura dimissis, qui depræhenditur in delicto,
 quia talis non potest se pro Clerico defendere,
 quominus per judicem secularem puniatur: pro
 quo est tex. secundum unum intellectum *in cap.
 ex parte. de privil. & de hoc etiam videtur esse
 tex. in cap. perpendimus de sen. excom. secundum gl.
 Vincentij Tancre Philip. Ab Anton. & Host. ac Io.
 An. qui ad hoc inducit tex. in cap. unico libro. 6. de
 vita & honest. Cler. ubi Clerici Golifardi & bu-
 fones exercentes illam artem per annum per-
 dunt omnes privilegium Clericale, unde à for-
 tiori debent illud perdere, quando diu se immif-
 cent hujusmodi sevis & enormitatibus: & idem
 voluit Anton. idem communiter *Pet. de Ancha.
 in regula juris, eaque lib. 6. qu. 12 circa fi. quæstio-
 nis Licet Zaba. in repe. d. cap. perpendimus. & Si-
 cul. ibidem. & Clavas. in ver. Clericus 10 §. 1. te-
 neant contrarium, dicentes quod tales bene per-
 dunt privilegium. cap. si quis suadente 17 qu. 4. ut
 in præalle. cap. perpendimus & de aposta. cap. 1. in
 princ. privilegium autem fori non amittunt nisi
 post monitionem. fa. cap. si index de sen. excom.
 lib. 6.**

Attamen præcedens opinio tanquam magis
 communis observatur, & de tempore meo fuit
 observata in personam filij Domini de Lanario,
 qui per insidias occiderat virum, cujus uxor erat
 ejus adultera. Et similiter in personam cujus-
 dam principis regni poenitentis accusati de cri-
 mine læsæ majestatis. Et illis, qui in sua causa
 tenuerant opinionem Sicul. & Zaba. non bene
 successit. Si autem bene vel malè novit ille, qui
 nihil ignorat.

20 Fallentia.

20 Fallit in Clerico, qui relicto ordine Clericali & habitu suo, in apostasia tanquam Laicus conversatur: quia si in crimine prehenus fuerit, per Ecclesiam non liberatur: ergo videtur per iudicem secularem posse puniri per tex. secundum unum intellectum *in cap. 1. de apost.*

ADDE.

Hanc fallentiam ponit Cassaneus in consuet. Burgundia tit. de iustitia §. 5. num. 51

NOTA DE CONSTITUTIONE
Leonis 10

Nota ulterius, quod Leo Pontifex 10 contra tales Clericos ordine Clericali, & habitu relicto in Apostasia, tanquam Laicos ambulantes, & in crimine deprehensos statuerit, quod per iudicem secularem capi, inquiri, & distringi debeant, & ubi vetat omnibus ordinarijs iudicibus, ne quovis modo directe vel indirecte Iudices seculares in eo impediunt sub pœna suspensionis à divinis. Promulgata est ista constitutio Anno 1506. Hanc eandem constitutionem ad verbum posuit Cassaneus dict. loco, & quoque Bærius post deci. 59 ubi eam legere licet. Matthæus Boys. Doctor.

*Et idem in Clerico in minoribus constituto, qui effectus miles exercet arma: nam talis ipso facto perdit privilegium Clericale secundum *Inno. in alleg. cap. 1.* quem sequitur Sicut ibidem:*

R

nam